

stantur S. litera. Estne vero, ut ejusmodi effectibus homo impleatur, opus, ut Deus ipse homini donetur? Verum nos Respondemus cum celeberrimo Theologo, Job. Georgio Dorfebo, ex Theolog. Zacharian. Part. III. Diss. II. Loc. II. p. 326. ad 1) donum esse in potestate donantis duplici modo, scilicet vel per potestatis in illud superioritatem, vel per potestatis identitatem. Spiritus S. est donum in potestate Patris & Filii situm non per superioritatem, sed per identitatem respectu potentiae absolutae donativae, per processionem respectu potentiae spirandi, de qua nos h. l. non agimus. Quin & in illa Spiritus S. donatione includitur Pater & Filius, quippe qui unum sunt cum Sancto Spiritu, & non minus etiam per unam numero potentiam operantur. Quod autem Spiritus S. quandoq; solus donari dicitur, id fit propter ordinem in operibus divinis ad extra servatum. Vide B. Carpz. Isagog. p. 251 Nihil itaque hoc pacto detrahitur Spiritus S. divinitati, alias enim nec Pater nec Filius esset Deus, quod absurdum. Et licet possideri dicatur Spiritus S. ab hominibus, tamen id ipsi similiter nihil derogat, nam sane, dummodò refecit a vocabulo possessionis imperfectionem, inconveniens non est dicere, hominem ipsum Deum possidere, unde David Dominum suam vocare portionem haut dubitat. Ps. XVII. 5. ad 2) Respondemus cum eodem; omnino ad effectus illos gratiosos opus esse, ut Deus Pater & Spiritum S. sub ratione gratiosae praesentiae nobis donet & seipsum. Nam ante praesentiam gratiosam dicitur Deus à nobis elongari (& recedere. Itaque si effectibus impleri debemus gratiosis, necessario requiritur, ut Spiritum S. ac cum eo Patrem & Filium dono accipiamus. Illud autem incongruum vel maxime est, quod Socinus, qui se acerrimum quondam personalitatis Spiritus S. hostem praebuit, ex nostro Textu probare annititur, cum non nisi pro divina quadam virtute esse

D ha-